Georgii ash. societatis dublinensis
Secretarii epistola, scripta dublo
Die octob. 10. an. 1685. ad unum è secretariis.
societatis regiæ de puellâ quâdam
hibernicâ è cujus corpore varia
excrevêre cornua.

translata ex transact. philos. angl. m. novemb.
1685. n. 176. pag. 1202.

Puellæ nomen est anna Jackson, natæ in civitate waterfordia, parentibus anglis, quorum uterque sanus ac valens fuisse narratur. symptoma istud non exseruit se, antequam trium circiter annorum esset, quibus elapsis mater ejus celare ipsam præ pudore, ac clam educare studuit: verùm hac brevi mortua, ac patre in extremam paupertatem delapso, infantis alendæ onus ad parochiam devolutum est. vivit iam inter 13 et 14. ætatis annum, et vix dum ambulare potest, estque statura adeo pusilla, ut infantes quinque annorum prociores videntur. stupidi est ingenii, nec nisi parùm loquitur, idque

idque non distincte satis, sed festinanter et cum difficultate —
non nullâ voce submissâ et asperâ. temperamento atque —
vultu satis bono est, oculis exceptis, quibus omnis nitor —
vividus abiit, obductis, ut apparet, membrana aut —
cornu quodam succrescente, in tantum ut iam vix colores —
ipsa distinguere valeat.

Cornua majore copia erumpunt praecipuè circa commissuras atque flexuras, nec adeo in torosis aut carnosis corporis partibus. cuti annectuntur fere ut verrucae, quibus etiam circa radicem — non multum absimiles in substantiâ sunt, quamvis versus — extremitatem duriorem et magis corneam induunt formam. — è summitate singulorum, tam in manibus, quam pedibus — digitorum cornu tale extat digitum longitudine adaequans, — non directè tamen antrorsum, sed in medio inter unguem — et carnem sursum paulisper vergens: (propè radicem cornuum excrescentiarum unguis instar est;) ac rursus — recurvum velut ungula gallopavi, cui et colore multum accedit. in reliquis utriusque generis digitorum articulis minoris formae cornua extant, decidentia quandoque, aliis in eorum locum — succrescentibus. universa cutis in pedibus, cruribus, atque — brachiis perquam dura est et callosa ac in dies magis magisque

talis evadit. in genibus quidem, cubitis et juncturis circum-
quaque varia enascuntur cornua, duo tamen notabiliora
fere extant in apice utriusque cubiti, intorta similiter cornibus
arietinis, idque quod in sinistro brachio est, plusquam dimidii
pollicis latitudinem, quatuor vero pollicum longitudinem habet.
in natibus puellae magnum eorundem numerus excrevit,
quae ipsa ob frequentem sessionem planam nactae sunt
figuram. in ejus axillis mammarumque papillis germina
nonnulla exigua f substantiae durioris erumpunt, teneriora
ac albidiora, quam reliqua illa apparent. prope utramque
etiam aurem extat cornu. cutis in collo nuper coepit fieri
callosa et cornea, perinde ac illa, quae in manibus ac pedibus
est. caeterum edit ipsa bibitque strenue, belle quoque dormit
nec aliis naturae officiis secus defungitur, ac sanus quilibet.
evacuationibus tamen ejus sexui propriis hactenus destituitur.
atque haec sunt de puellâ hâc specialia, quotquot potuimus
conquirere. &c.